

Carissima, vir æque doctus, ac probus; sed sufficit, quod si virtualis, ut docent fere omnes melioris notæ Theologi t. IV. tandem in adultis etiam requiritur consensus in mortem, saltem habitualis, aut interpretativus, ob motivum supernaturale honestum, & pium. Et cum sic dispositi fuerint ad Martyrium adulti, dicere debent: „ Servi inutiles, „ sumus, & non nisi cum timore, & tremore, ex virtute, „ & meritis Jesu Christi perseverantiam, & remissionem „ peccatorum expectamus.

PROPOSITIO SECUNDA.

*Fide Catholica certum est, Baptismi votum, cum perfecta charitate, in ultimo vitæ Catechumenos justificare, non sic tamen, ut, deleta culpa, & pœna æterna remissa, deleatur pariter pœna temporalis in altera vita.*

§. VIII. Probatur prima pars. Ex Traditione constat Catechumenos, per votum Baptismi, & Charitatem Dei super omnia, in fine vitæ consequutos fuisse æternam salutem. S. Cyprianus in ep. ad Jubajanum: Quid ergo fiet, inquit, de his, qui in præteritum de hæresi ad Ecclesiam venientes, sine Baptismo admissi sunt? Potens est Dominus, misericordia sua, indulgentiam dare, & eos, qui simpliciter admissi in Ecclesia dormierunt, a misericordiæ suæ muneribus non separare. His verbis S. Cyprianus asserere intendit, quod Hæretici, quorum Baptismum invalidum supposebat, in fine vitæ, Baptismi voto, salutem æternam consequi poterant. S. Ambrosius de obitu Valentiniani loquens, disertè asserit, Dei misericordiam fuisse consequutum per Baptismi desiderium. „ Dudum hoc votum habuit, ut antequam „ in Italiam venisset initiaretur; & proxime baptizari se „ a me velle significavit... non habet ergo gratiam, quam „ desideravit? non habet, quam poposcit? & quia poposcit, „ accepit... aut si quia solemniter non sunt initiata My- „ steria hoc movet; ergo nec Martyres si Catechumeni fue- „ rint coronentur; non enim coronantur, si non initiatur.

„ Quod